
GEORGII ERNESTI STAHL,

D. PROF. PUBL. ORDIN. h. t. FACULT. DECANI.

PROPEMPTICON INAUGURALE

DE

MORBIS CONTUMACIBUS.





T multa alia præclarè prospexit, & luculentis monumentis indigitata reliquit *Hippocrates*, quæ ad Universæ Medicæ Artis *scientificam* elucidationem pertinere videntur; Ita *Physicæ* quoquè *Scientiæ*, quantum ad *Humanam Naturam*, ejusquè genuinam *Historiam*, summum, imò unicum fundamentum, è *Medicâ* Arte unicè expectandum esse, sanè non minùs prudenter perspexit: Unde *Lib. de priscâ Medicinâ*, monitum illud atquè effatum notatu dignissimum consignavit, νομίζω δὲ ὅτι περὶ Φύσιος γνῶναί τι ταφὲς, οὐδαμόθεν ἄλλοθεν ἔσται ἢ ἐξ ἰητρικῆς. Τοῦτο δὲ οἷόν τε καταμαθεῖν, ὅταν αὐτὴν τις τὴν ἰητρικὴν ὀρθῶς πᾶσαν περιλάβῃ. i. e. *Censeo verò, quod de Naturâ* (Hominis) *manifestum quidpiam statuere, non aliunde possibile fuerit, quam ex arte Medicâ: Quod quidem facile erit percipere, si quis ipsam Artē Medicam universam probè complexus fuerit.*

Profectò, si quisquam est, qui manifestissimas illas, mutuas & *reciprocas* alterationes, quæ circà *Motus*, *sensus*, *voluntatem*, & *intellectum*, fiunt; Et non tam in statu *quieto* sive *sano*, quam *concusso*, *commoto*, *exagitato*, maximè sese sistunt, vel leviter cognoverit atquè perpenderit: ille Veritatem, & profundissimam certitudinem hujus assertionis non poterit diffiteri.

Cum enim in deviante præcipuè statu Corporis, ut primo *Medicæ* considerationis *subjecto*, sese exserant præsentissimæ istæ alterationes *Motuum Vitalium*, quæ ab *animi* seu *intellectus* perturbationibus immediatè nascuntur: Et è converso, *animi* quoq;, & ipsius *intellectus* debilitationes, à variis *Corporeis* læsionibus, quasi pressis vestigiis introductæ, hîc ibidem maximè occurrant: *Medica-*

dica-

dicarum quidem harum rerum peritus, non potest non agnoscere, insignes illos *nexus* inter *Corpus* & *Animum*, & consensum præsentissimum inter omnes *Motus*, eorumquê *ordinem*, & *vigorem*, & *intentionem*; Quisquis verò eadem perspecta non habet, non potest utique, nisi è *mancâ* notitia *falsas* deinde subsumtiones & opiniones colligere.

Quemadmodum verò prolixè, & per digniores apices, hujus Veritatis demonstrationem deducere, instituti mei ratio jam non permittit; Ita saltem illud adhuc in dicto allegato nervosè notatum tango, quod Divus senex, ad *Philosophico-Scientificam* hujusmodi cognitionem: *Universæ Medicinæ rectam & exactam comprehensionem*. & *universi ejus ambitus amplexationem*, supponat.

Ubi nempe, sicut in genere: *Imperitia malus est thesaurus, & malum cimelium possidenti ipsam*, ὄναρ καὶ ὕπαρ, *undiquaque*, juxtà eundem *Hippocr. in Lege*: Ita hìc quoq;, ad *Scientiam* de Natura Hominis obtinendam, non Medicinæ modò *aliquali* cognitione, opus & usus est: sed ὅταν αὐτὴν τις ὀρθῶς πᾶσαν περιλάβῃ, ut ipsam *rectè*, & *universam* quidem, & quasi *universum ejus ambitum*, *circumcircà*, *undiquè* & *undiquè*, complectatur.

E tali enim *Experientiâ* demum, nascitur sufficiens cognitio *omnium* illarum *circumstantiarum*, è quarum sollicitâ *comparatione*, & *dependentiæ* mutuæ examine, *scientificam* rei cognitionem adipisci licet.

Hâc itaque *Methodo*, & ad hancce normam, antè omnia considerare & evolvere oportet, ipsorum *Morborum* conditiones; Inter quas, cum haud sanè postrema sit, *Contumacia* & *pertinacia* illa, qvâ modò *durare* solent & diu *continuare*, modò *repullulare* & recrudescere, modò in aliam faciem aut speciem *transformari*, modò alia nova incommoda vel *generare*, vel *provocare*: Operæ sanè precium ingens fore arbitror, si condignè & circumspectè, harum re-

rum rationes pervestigarentur, & mutuæ dependentiæ variorum hujusmodi *pertinaciam* affectuum, annotarentur: Sed cum prolixi operis, demonstrationis & illustrationis diffusæ, illud sit negotium, impræsentiarum quidem illud in nos suscipere non licet: Libabimus tamen summos veluti apices, & quid de iis nobis succurrerit, proferemus.

Acuti Morbi, *Febres*, *acutæ*, *Apoplexia*, *Lethargus*, *Convulsiones*, *Sphacelus*, *Catarrhus suffocativus*, &c. *contumaciam* non exserunt; Neqve enim vel diu *durant*, vel sæpè *repullulant*; Sed Febres *Intermittentes*, & præcipuè *Quartana*, *Hectica* quoquè, id faciunt.

Reliqui verô, qui etiam inde ferè appellari consueverunt *Chronici*, Morbi, & *duratione* diuturniore, & *frequenti* atq; *facili* repullulatione, hanc utiq; tribum maximè constituunt: *Cephalalgiæ*, *Odontalgia*, *Hemicrania*, *Catarrhi*, *Auditûs læsiones*, *Tusses*, *Asthmata*, *Raucedines*, *Phthises*, *Alvi* modò *siccitates*, modò *lubricitas*, *Hystericæ*, *Nephriticæ*, *Calculosæ passiones*: *Hydropes*, *Hæmorrhoidum fluxus & vitia*: *Gonagra*, *Podagra*, *Arthritides*, modò *fixæ*, modò *vagæ*, *Epileptici insultûs*, *Paralyses*, *Contracturæ*, *Ariduræ*, *Fistulæ*, *Oedemata*, *Scirrhi*, &c.

Hos omnes, si ad summa quædam genera reducamus, deprehendimus, quod, vel in *Inflammatoriis*, aut gravissimè *distensoriis Stagnationibus*, *Sangvinis*: Vel in *Colatoriorum Principaliorum obstructione*, aut corrosione & *ulceratione*: Vel in *Motibus Spasmodicis* in genere: Vel in *assvefactis*, ut talibus, *in Specie*, consistant.

Qui *Inflammatoriam* & *Distensoriam Stagnationem* Sanguinis, pro causâ agnoscunt, pendent vel à *quantitate* ejus, vel *qualitate*; *Utrabilet*, quasi *formaliter*, quatenus noxam constituit, læditur in *Motu*.

Motus qui *quantitatem* Sanguinis *nimiam* sequuntur, sunt vel *activè congestorii*, vel *passivè* statarii & *defectivi*, seu Motuum *sufflaminationes*.

Con-

Congestorii, spectant ultimo ad *Evacuationes Hæmorrhagicas*, & fiunt proinde circùm & versus *Emunctoria Hæmorrhagica*.

Sufflaminationes Motuum, sive à *quantitate* nimis *præcipitanter* congesta, sive à *Spissitudine* qualitatis vitiosæ, inferunt ferè illas secundo loco dictas *Colatoriorum* Principaliorum *obstructiones*: Aut *corruptione* accedente, eorundem *ulcerationes*.

Non tamen æquè Sanguinis puræ *stases*, sive progressûs illius *sufflamationes* sinceræ, hîc notari merentur; Siquidem è Sanguinis *puri stasi*, acuta potiùs & præcipitia mala nascuntur: Sed *seroso-lymphaticarum* ἀποςάσεων damna. Quæ modò *Catarrhales*, *Tussiculosas*, *Catharticas*, turbas, modò *Hydropico-œdematosa* incommoda, progenerant.

Spasmodicorum Motuum latissimè patet Campus. Omnes enim illi *Motus*, quos paulò antè *activos* appellavimus; Et omnes *Assuefactitii* Motus, pendent unicè ab hoc genere.

Fiunt sanè *Spasmodici* Motus perpetuò *Active*, & habent semper aliquem, non penitùs *inutilem*, finem: *Tempus*, *gradus*, *frequentia*, sunt istæ circumstantiæ, in quibus impingitur.

Assuefactio verò, est ingens illud scandalum, quod non modò *Theoriam*, sed *Praxin* præcipuè, summopere ludit, & attentionem perspicacissimam requirit.

Profectò omnium *Contumacium* morborum *materiales* causæ, quantumcunque sint importunæ, nuspiam tamen & nunquam tantum possunt, nisi in solis *Stasibus*; Imò potiùs in *ruptionibus*, aut *corruptionibus* jamjam subsecutis.

Extrà hoc verò, longè plurimùm & *possunt*, & *solent* etiam, *Contumaciam* Morborum fovere, imò constituere, *Assuefactiones* ipsæ *Motuum*.

In hâc enim *Assuetudine* præcipuè, fundatæ sunt *recrudescentiæ* illæ & exacerbationes variarum *congestionum*, *dolo-*

rum, *Spasmorum*, *excusſionum*; Quæ cum aliàs quieviſſent, nequè ad cauſæ ſuæ *Materialis* præſentiam exarſiſſent: Accedente levi commotione *animi*, aut alteratione *ſenſûs*, repetuntur è veſtigio *ſoliti Motûs*, & turbulenter, aut ad minimum *impetu conſveto*, peraguntur: Licet maximè nulla *proportionata quantitas materiæ*, quæ illos mereretur, præſtò ſit: Imò, fiunt non raro tantò *pertinaciùs* quantò minꝰ habent, in quod agant, & in quo veluti conſumantur.

Verſantur autem hæ *Aſſvefactiones*, partim circà *generalem* aliquem Motum, partim circà *ſpecialem*, in organo & parte ſpeciali.

Prioris generis, ſunt variæ *Excretiones* Sangvineæ & Motuum *molimina* eò tendentia; quæ cum primis *ætatibus* circà *ſuperiora, caput, Nares, fauces, pectus*, tetendiſſent: Provehente *Ætate* circà *inferiora, Renes, Hæmorrhoides, crura varicoſa*, inſtituuntur: Nempè in genere circà *generale* ſuum objectum, *Excretionem ſangvinis*, occupati, licet ad illum certum *locum* nondum aſſueti.

Poſteriores, ſunt v. g. *molimina* talia, vel circà *easdem, partes* atq; *actiones*: Vel circà *conjugatas* ad minimum. Exemplo ſit (1) *abortus* fœminarum *ſangvinearum*, qui frequentisſimè *pluribus vicibus deinceps*, eàdem ſemper *ſeptimanâ* geſtationis, & iisdem planè Symptomatibus, contingit. (2) *Hypochondriaco-Hyſterico-Cephalica* pathemata, ex vaſorum, & Nervorum, *communione*, nempè *venæ portæ*, & *Nervi paris vagi*: Excretionibus *menſtruis, Lochialibus, Hæmorrhoidalibus* internis, *aſſuefactis*, ſuccedentia.

Plurimum verò poſſunt ad *contumaciam* hujus capitis, nempè *ab Aſſuefactione, memoriâ & intentione* ἀφαντασῆ, *Hæreditaria diſpoſitio*, & *Aſtrales* ἐπιφανείαι; Scandala illa omnis *curioſitatis*, & ſcioli intellectus Humani, quæ omnes Naſutos naſo ſuſpendunt adunco. Quas quidem negare, ſolita eſt & trita valdè via, ſed *Ponti* illi *Logico* confinis, cujus odioſum eſt nomen: *Practici* enim ſtatim inde ſciunt, quæ ſit talis Hominis *Experientia*, & conſequenter *ratio*.

Dico itaque, & concludo breviter, quod *Contumacium Morborum* Cauſæ, *posſint* quidem in *viarum* quoque, adeoquè Motus *pasſivi* vitiis interdum contingere: *Soleant* verò perfrequenter, magis in Motûs *Activi, aſſuefacti, ſpasmodici*, exacerbationibus fundari: Qui *Materialiter* ſeu *Subjecti* ratione, communiter *ſangvinis* ali-

aliquam exundantiam ſequitur: *Effectivè* verò, vel à multâ *repetitione* & hujus generis *Exercitio*, vel ab *Hereditariâ* impreſſione, vel ab *Aſtrali* interdum conturbatione, inducatur.

Ubi, uti ad curam eorum, requiritur, ut *longinquarum* harum cauſarum, non modò luculenta cognitio, ſed & proportionata ad reſiſtendum *Methodus*, inſtituatur: Ita quid ſine his ſubſidiis fieri *ſoleat*, quantum à Morborum *contumacium percuratione* abſimus, ſolà exacerbationum *mitigatione* contenti, docet dies.

HÆMORRHOIDALIUM MOTUUM externorum *contumacisſimos Spasmodicos effectus*, Nephritico-Iſchiadico-Gonagrico-Podagrico-Contractorios Spasmos, è fonte ſuo eruere, aggreſſus eſt Vir Juvenis Doctiſſimus

HERMANNUS PAULUS JUCH / Erffurtenſis,
Medicinæ Candidatus digniſſimus,

De cujus natalibus, vitâ, moribus ſtudiisque laudabiliter actis, publicam notitiam eſſe decet. Natus ille eſt Erffurti, Antiquâ & præcipuâ Thuringiæ Urbe; Lucem aſpexit anno MDCLXXVI. Menſe Septembri. Pater, Vir Excell: Ampliſſ. Experientiſſ. Dom. PAULUS HENRICUS JUCH, Dn. PAULI JUCH, M. D. Archiatri Moguntini, & Erffurtenſis Practici famigeratiſſimi, jamdum beati, Filius, Philos. & Med. Doctor, Practicus celeberrimus. Mater, BARBARA HEITMANNIA, Dn. HERMANNI HEITMANN Senatoris, & Prætoris Militaris Electoralis in Urbe, cujus ad memoriam celebris perennat fama, Filia, Matrona omnibus virtutibus laudatiſſima. Hi Parentes optimi, cum à teneris unguiculis, pietatis, probitatis, docilitatis, modeſtiæ, ſobrietatis ſtudio, Filium mancipaſſent; Ita Privatis Informationibus, quarum ibi per frequentiam Academicam locuples eſt commoditas, ad altiores Diſciplinas præpararunt, deinde in Philoſophicis Logico-Metaphyſicis à Dn. M. STENGERO, P.P. in Phyſicis à Dn. M. KISLINGIO, P.P. ſolidiſſimam hauſit inſtitutionem. Diſputationem quoq; publicâ de Pluviis prodigioſis ibidem defendit. His ſubſidiis inſtructum, Theoriâ Medicâ, Practicis Exemplis perennib9 ſubnixâ, imbuit ipſe Dn. Parens, laudabili

pror-

prorſus induſtriâ, è ſterilibus multis circà ſtudium Medicum nugamentis, vindicatum ſibimet ipſi Filium, ſolidis & expertis fundamentis imbuendi. Admovit eundem frequentibus Anatomicis, & Chirurgico-Judicialibus Scrutiniis atq; Sectionibus: Adhibuit operationibus Chymico-Pharmacevticis, in officinâ Splendidâ, quam inſtructam ipſemet habet publicam. Ita inſtitutum miſit per aliquod tempus in Jenenſem Academiã, ubi publicis Celeberrimorum Profeſſorum Commentationibus ſedulò adſtitit, ex iisque profectus ſuos locupletare cordi habuit: Tandem antè annum fere, Illuſtri noſtræ FRIDERICIANÆ eundem deſtinavit; Ubi profectò talem ſeſe præſtitit, quales omnes qui Studium hoc proſequuntur, eſſe velimus: Solertem, aſſiduum, ſagacem, doctum, peritum. Collegium Chymicum, & Experimentale Phyſicum Curioſum Excell. D. D. HOFMANNI aſſiduè audivit. Me Caſus Practicos, deinde Chirurgicos quoq;, deniq; Chymiam, tradentem, diligentiſſimè ſectatus eſt, & tam Theoriæ quam Praxeos ſolida fundamenta partim exhibuit ſuis elaborationibus, partim ſuſcepit. Diſputationem Academicam ſub meo Præſidio, de INFREQUENTIA MORBORUM, ſtrenuè ventilavit: Defendit etiam aliam De ARTHRITIDE, Nobiliſſ. & Experientiſſimi D. D. WERKMEISTERI, Practici ſolertiſſimi, Præſidio. His ita feliciter geſtis, monitu Dn. Parentis ad Honores Juraq; & Privilegia, quæ Ars noſtra dignis tribuit, reſpicere ſuſcepit: Aperuit honeſtum ſuum deſiderium FACULTATI noſtræ, quæ legitimam viã indicavit, per Examinum & Speciminum ſoleñium Experimenta atq; documenta. Subiit alacris, & decurrit hoc ſtadium dexterrimâ ſorte: Probavit, inquam, profectûs laudatisſimos. Habebit Virtuti præmium. Publicum Specimen INAUGURALE, de MOTU SANGUINIS HÆMORRHODALI, ſub noſtro Præſidio, die Veneris XVIII. Martii, exhibebit. Ad quem Actum Soleñem Magnificum Dominum Pro-Rectorem, Excellentisſimos Academiæ Proceres, Illuſtrisſimos, Illuſtres, Generoſos, Clarisſimos Hoſpites, Fautores, Cultores, officioſisſimè & humaniſſimè invito.

P.P. Sub ſigillo Facultatis Idibus Martiis,

M DC XCVIII.

(L.S.)

